Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1145
Quelle:
Copyright:

praecedit, inſcriptus: *Incipiunt Capitula.* Homiliae ut plurimum tempori eccleſiaſtico reſpondent. Prima hoc titulo lit. quadr. gaudet: *Incipiunt Lectiones de Nativitate Domini Inprimis de Incarnatione Domini Noſtri Ibeſu Chriſti.* Initium: *Legimus ſanctum moyſen populo dei* &c. Sermo hic inter ſpurios *Auguſtini* legitur in *Append.* T. V. edit. *Maur. Pariſ.* 1683. *col.* 401. f.

II. *fol.* 5. p. 2. Item *Sermo de Nativitate*, extrita inſcriptione, qui incipit: *Clementiſſimus pater omnipotens deus. cum doleret ſaeculum caenulentis erroribus inuolutum hominemque mortiferis criminibus catenatum habuit cum ſua pietate conſilium totum redimere mundum* &c. Sermonis hujus Autorem ignoro, cujus maxima fortaſſe pars deperiit; altero enim mox *fol.* incurritur in *Auguſtini* Sermonem initio truncatum, qui eſt *T. cit. col.* 893. *octavus in Natali Domini*, et hic ab iis verbis orditur: *ut liberaret indignos, quando nec ille aliquid mali* &c. Parum ab Editis variat. *Sacer praedixerat Pſalmus* pro *praedixerat Pſalmus. Merito ſancta Maria* pro *ſancta Maria. Hoc perdideritis ſi alterum habere uelitis* pro *perditis ſi utrumque* &c.

III. *fol.* 8. p. 2. *Item Omel. de Natal.* Init: *Saluator noſter natus de patre ſine die* &c. Habetur T. *Auguſtini cit. col.* 1456. ſed Editores potius in *Vigilium Tapſenſ.* inclinant.

IV. *fol.* 11. *Item Omel. de Natal.* Init: *Rogo vos fratres kariſſimi ut libenti animo ſermones* &c. Extat *T. cit. Append. col.* 212. ſtilum enim *Caeſarii Arelat.* potius ſapit, quam *Auguſtini.* Parum variant *Homiliae* iſtae ab Editis.

V. *fol.* 16. p. 2. *Item Omel. de Natal. Domini.* Init: *Filius* (Filium) *dei ſicut eſt apud patrem æqualis illi* &c. Eſt genuina *Auguſtini T. cit. col.* 888. ſed nobis legitur: *ſed mundus tranſit, permanet deus* pro *mundus tranſit* &c. Abeſt item Parentheſis illa: *idem namque homo idem deus*, quae ſuperflua et e margine irrepſiſſe videtur.

VI. *fol.* 18. *Incipit Sermo Sancti Gregorii PP.* Initium: *Quia largiente domino miſſarum ſolemnia ter hodie caelebraturi ſumus* &c. Extat *Opp.* T. I. *Pariſ.* 1705. *col.* 1460.

VII. *fol.* 20. *Incipit Sermo Sancti Auguſtini in Natal. Sancti Steph.* Initium: *Lectio Apoſtolorum actuum quae nobis hodie lecta eſt dilectiſſimi fratres cum plurimum habeat* &c. *Maximo* tribuitur in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 30. uti in *Alcuini Homiliario.* In *Append.* T. V. *Auguſt. col.* 350. praeit aliud Exordium: *Heſterno die Natalem habuimus* &c. maximaque Sermonis pars ad *Caeſarium* pertinere dicitur.

VIII. *fol.* 22. p. 2. *Item Omel. Sancti Auguſtini ep. in Natal. Sancti Stephani Mart.* Incipit: *Quociens caritatem ueſtram*